



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1862**

XVIII. Die Markgrafen Otto und Konrad schenken dem Kloster Neuendorf das Dorf Wendisch-Jevenitz, am 29. August 1291.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55716)

XVIII. Die Markgrafen Otto und Konrad schenken dem Kloster Neuendorf das Dorf Wendisch-Jevenitz, am 29. August 1291.

In nomine domini Amen. Otto et Conradus, marchiones de Brandenburg et de Landesberg, Omnibus hanc litteram intuentibus in perpetuum. Decet excellentiam nostram sanctimonialium in domini nostri terra degentium dominoque famulantium curam gerere et earum inopie succurrere opportunis auxiliis, ut temporalibus adjute sufficienter presidii fiducialius et fortius valeant inherere laudibus conditoris. Nosse igitur presentes volumus scripto presenti posteros nec latere, quod cenobio sanctimonialium in Nigendorp et conventui ordinis Cisterciensis ob reverentiam dei et sue matris virginis gloriose donavimus Slavicalem Jevenitze (R. Greueniz) cum universis ipsius ville attinentiis quorumque censeantur nomine cum omni juris integritate et proprietatem ville ejusdem proprietatis tytulo perpetuis temporibus quiete et pacifice possidendas, renunciantes universo juri et proprietati quam nos et heredes nostri nobis potuimus vendicare in villa et proprietate memoratis. Ut igitur hec nostra donatio multis bonis et probis viris presentibus rite facta futuris temporibus calumpniari nequeat vel etiam irritari, presentes litteras desuper editas conscribi iussimus et sigillorum nostrorum appensionibus decrevimus communiri. Testes hujus rei sunt fideles nostri dominus Bartolomeus de Libenhaw, Conradus de Redere, Henricus de Wardenberg, Albertus de Clepzk (B. Clepsh), Gerardus de Worthow (fehlt bei R.) et dominus Bartoldus pincerna, tunc Gardelege advocatus, et alii plures fide digni. Acta sunt hec in Tzapaw (B. Trapalde)\*, anno domini M. CC. LXXXIX primo, III. Kal. Septembris et data per manum domini Alwardi, prepositi Reppinenfis, curie nostre notarii et capellani.

(Das Original fehlt.) Nach Belmann S. 118. und einer Abschrift von Reichard. Die unrichtig scheinende Lesung B's oder B's ist in ( ) beigefügt.

\*) Im Original stand vielleicht Tzapawe (= Schapow bei Prenzlau?).

XIX. Die Markgrafen Otto und Konrad verkaufen dem Kloster Neuendorf 90 Morgen bei Staz, im Jahre 1291.

Omnibus in perpetuum. Otto et Conradus, dei gratia marchiones Brandenburgenses, omnibus Christi fidelibus Salutem in omnium salvatore. Recognoscimus coram omnibus presentibus litteris publice (sic) protestantes, quod cenobio sanctimonialium in Niendorp vendidimus nonaginta jugera sita citra villam Staz in Indagine pro viginti talentis denariorum Brandenburgensium, donantes eisdem sanctimonialibus prefata jugera et proprietatem eorundem, cum omni juris integritate et valitate quiete et pacifice perpetuis temporibus possidenda, ita quod nullus advocatorum nostrorum bodellorum sive officialium nostrorum prefatum cenobium et sanctimoniales inibi domino famulantes in prefatis bonis sive jugeribus et earum (so) valitatibus debeat ullis temporibus